

singula jura, quae ipsi habent etc. in ipso tenimento Algidi, et *Castello Algidi* Acta sunt praedicta Romae in Domibus S. Laurentii in Lucina etc.

Ego Joannes dictus Parlator de Secia apostolicae Sedis auctoritate Judex, et notarius etc.

DOCUMENT (O).

PROCÈS CONTRE LES COLONNE.

Bonifacius, etc. ad perpetuam rei memoriam.

Praeteritorum temporum nefandis Columnensium actibus, et praesentium pravis operibus recidivis, ac futuris, de quibus veresimiliter formidabatur, in considerationem prudenter adductis, venit patenter in lucem, quod Columnensium domus exasperans, amara domesticis, molesta vicinis, Romanorum reipublicae impugnatrix, sanctae Ecclesiae Romanae rebellis, Urbis et patriae perturbatrix, consortis impatiens, ingrata beneficiis, subesse nolens, humilitatis ignara, plena furoribus, Deum non metuens, nec volens homines revereri, habens de Urbis et orbisurbatione pruritus, studuit clarissimum in Christo filium nostrum Jacobum Aragoniae Regem illustrem, tunc hostem ecclesiae ac rebellem, Siculisque perfidis praesidentem de facto, in nostrum et charissimi in Christo filii nostri Siciliae Regis illustris grave praeiudicium. et gravamen Christianitatis et Terrae sanctae succursus grande dispendium in rebellionem tenere, tam sibi quam nobili juveni Friderico nato quondam Petri olim Regis Aragoniae, in crimine criminoso favendo. Ut illud notissimum omitamus, qualiter quondam Joannes de Columna tit. S. Praxedis praesbyter Cardinalis, et Oddo de Columna nepos ipsius, pater Jacobi S. Mariae in Via lata, et avus Petri de Columna S. Eustachii diaconorum Cardinalium, tempore felicitis recordationis

Gregorii Papae IX. praedecessoris nostri fuerunt dure et graviter ipsam ecclesiam persecuti, cum damnatae memoriae Friderico olim Romanorum Imperatori, supradictae ecclesiae publico persecutore et hoste, tempore, quo quondam Matheus Rubeus de domo filiorum Ursi sororius dicti Oddonis senatus in Urbe regimen exercebat ad honorem et obsequium ecclesiae memoratae: a cujus Matthaei domo dictus Cardinalis et Oddo et eorum posteri multa beneficia receperunt; praesertim a sanctae memoriae Nicolao III. praedecessore nostro, qui dictum Jacobum juvenem satis et inscium, perniciosum tamen postmodum, hypocrisim tunc temporis periculose gerentem, ad Cardinalatus provexit honorem: quod utinam non fecisset, quia nec sedi Apostolicae, nec Christianitati, nec dicti praedecessoris Nicolai domui talis promotio expedivit, quam dicti Jacobus et Petrus ac sui, velut ingratitude filii, et beneficiorum immemores, multipliciter impugnarunt. Terras etiam subiectas ecclesiae sibi que rebelles in rebellionem fovebant in hoc, dantes eisdem auxilium et favorem.

Novissimis vero temporibus dicti juvenis Friderici, latenter discurrentibus nunciis per Urbem et loca vicina, ut immissis scandalis ea possent ipsius subicere ditioni, licet id procurarent homines dictae domus Columnensis, et ad hoc eis ministrarent auxilia et favores; mansuetudinis tamen Apostolicae sedis benigna sinceritas, quae libentius emendat in subditis peccata, quam puniat, nec exerit ferrum praecisionis in morbos, quos sanare potest mulcebris lenitas medicinae; eos studuit nunc paterna lenitatis dulcedine alloqui, nunc verbis charitativae correctionis inducere, ut a talibus abstinerent, ipsorumque elatam pertinaciam, immo effraenem superbiam, non semel sed pluries in fulgore terrifico comminationis increpavit, tendens ante ipsos arcum justitiae in rigore, quo sagitta perpetuae dejectionis, solita non converti retrorsum, emittitur, ut formidabilis vindictae significationis clementer exhibita stu-

pori eorum sensum timoris incuteret, et fugam ad misericordiam per compendium poenitentiae suaderet. Sed nec sic profecimus apud eos: traxit enim illos in desperationis laqueum moles praeponderans peccatorum, ut nec rationibus nec correctionibus, monitionibus, sive minis reduci potuerint ad salutem: quin potius velut aspis surda suarum aurium obstruxerunt auditum, eligentes quasi pro gloria confusionis opprobrium, et irreparabilis ruinae periculum pro tutela.

Periculis vero obviare volentes, dictis Jacobo et Petro Cardinalibus districte mandavimus, ut terras, quas Stephanus ipsius Jacobi nepos, et frater Petri praefati tenere vulgariter dicebatur, videlicet civitatem Perusin. castra Columna et Zagaroli, procurarent custodienda ad nostrum beneplacitum assignari, ne per ea Urbis et patriae possent quies et tranquillitas impediri, et ut ex eis posset praestari auxilium dicto Friderico hosti ecclesiae memoratae; utque ipse hostis, et valitores, seu adjuutores ipsius non receptarentur in eis: assignationem quorum non revocabatur in dubium ab ipsorum Jacobi et Petri voluntate pendere, quae conficto seu quaesito colore teneri per dictum Stephanum dicebantur, ne dilecto filio Matthaео praeposito ecclesiae de sancto Audumaro Morinensis dioecesis, et nobilibus viris Oddoni et Landulpho fratribus dicti I. filii saepedicti Oddonis assignaretur paterna et hereditaria portio, quae in dictis civitate et castris competebat eisdem, quam propter duritiam et crudelitatem dictorum Jacobi et Joannis defuncti Petri et fratrum suorum nequiverunt habere, licet quadraginta anni et amplius sint elapsi, quod obiit dictus Oddo; quamvis etiam nos pietate moti, pro bono pacis inter eos interposuerimus solícite partes nostras, ut unusquisque de civitate et castris suam portionem haereditariam obtineret, oblationibus magnis factis nepotibus dicti Jacobi in avantagium, ut hujusmodi concordia proveniret; considerantes fore indignum, ut quibus de una substantia competit aequa successio, alii abundanter affluant, alii paupertatis incommodis in-

gemiscant, quos tamen rationibus, precibus, sive minis nequivimus emollire. Ipsi vero Jacobus et Petrus Cardinales, a nostra praesentia recedentes non facta hujusmodi assignatione, quae ab eorum beneplacito dependebat, nunquam ad nos postea redierunt.

Nos igitur attendentes ipsorum Columnensium adeo incaluisse duritiam, adeo fore nequitiam induratam, quod non rationibus dirigi, non blandimentis allici, non fomentis reduci, nec minis etiam inclinari potuerunt ab bonum, ex quo blandimenta non potuerant, nec fomenta valebant; deliberavimus apponere manus ad fortia, et ferro abscindere vulnera, quae, medicamenta non senserunt lenitiva: ac praemissis et aliis, quae nobis et fratribus nostris rationabiliter occurrerunt, provida deliberatione discussis, providimus non solum contra filios dicti Joannis, qui peccabant apertius, verum etiam contra Jacobum et Petrum praefatos, ex quorum adipe praedicta iniquitas et superbia procedunt, juste procedere, qui consentiebant ipsis peccantibus, praestando fomentum, favorem, praesidium, et tutamen; quia culpa non caret, et delicti efficitur particeps, qui non prohibet delinquentem, dum potest: et negligere, cum quis potest, perturbare perversos, nihil aliud est quam favere; nec caret scrupulo societatis occultae, qui manifesto facinori desinit obviare.

Cumque dictorum Jacobi et Petri Cardinalatus et status dictae ecclesiae, ejusque fidelibus esset in scandalum, eorumque potestas non in aedificationem, sed in destructionem; ipsique obessent, quibus prodesse debebant, nec nostram relevarunt, per suam particularem, sollicitudinem, qua vocati sumus a Deo in plenitudinem potestatis, immo potius impugnarent; quantumlibet venerabilibus fratribus nostris episcopis, et dilectis filiis presbyteris et diaconibus S. R. E. Cardinalibus, quantum cum Deo possumus, deferamus, ipsorumque collegium honoremus, eorumdem Jacobi et Petri elegimus domare superbiam in robore virtutis Altissimi, arrogantiam et praesumptionem elatam

conterere, eos tamquam oves morbidas a dominico ovili abjicere, ipsosque, ut culpa supplicium timeat, et virtus proemium retributionis expectet, a loco quantumcumque sublimi perpetuo amovere, tam ex eorum culpis et demeritis ac suorum, quam ex causis rationabilibus, quae nos movent; praesertim explorati divini et humani iuris existat, unum pro altero interdum ex causa puniri.

Eorum ergo absentiam Dei replente praesentia, ad honorem Dei omnipotentis, B. Mariae semper Virginis, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et Romanae Ecclesiae saepedictae praefatos Jacobum S. Mariae in Via lata et Petrum S. Eustachij diaconos Cardinales de ipsorum fratrum nostrorum consilio a Cardinalatibus ipsis sanctae Romanae ecclesiae et praedictarum ecclesiarum deponimus etc.

Excomunicamus insuper praedictos Jacobum et Petrum, et etiam omnes illos, qui de caetero scienter et deliberate pro Cardinalibus ipsos vel aliquem eorum habuerint; et assensum praestiterint, quod pro Cardinalibus habeantur, et quod eos vel ipsorum aliquem in electione Romani Pontificis ad aliquem actum ut Cardinales admiserint, vel vocis eorum suffragium, aut aliquid ex eis. Omnes etiam et singulos cuiuscumque eminentiae fuerint, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiam si fuerint S. R. E. Cardinales, qui ipsis Jacobo et Petro, vel eorum alteri postquam, quod absit, in haeresim, vel in schisma, et rebellionem ceciderint, in haeresi, vel schismate, aut rebellionem stantibus scienter et deliberate praestiterint auxilium, consilium, vel favorem, publice vel occulte, omni statu ecclesiastico, Praelatura, et honore privamus; omnes civitates, castra, terras, et loca, quae ipsos vel aliquem eorum in haeresim, schisma, vel rebellionem lapsos scienter susceperint, tenuerint, ecclesiastico supponimus interdicto, etc. Actum Romae apud S. Petrum in publico consistorio nostro VI. id. maji Pontificatus nostri anno III.

DOCUMENT (P).

LIBELLE DES COLONNE CONTRE BONIFACE.

Universis praesens instrumentum publicum inspecturis, cuiuscumque praecellentiae, dignitatis, status, vel conditionis existant, ecclesiasticae vel mundanae, miseratione divina Jacobus S. Mariae in Via lata, et Petrus S. Eustachij diaconi Cardinales salutem, etc. Respondemus ad ultimum verbum inter alia in mandato nobis facto propositum, si tamen mandatum dici debeat quod volebatis scire, utrum essetis Papa, quod vos non credimus legitimum Papam esse, sacroque coetui dominorum Cardinalium denuntiamus, suamque provisionem et remedium super hoc exposcimus, cum hoc expediat universali ecclesiae et fidei fundamento, ut loco demini nostri Jesu Christi et in ejus vices non nisi verus et legitimus vere et legitime pastor praesit, curamque gregis sibi commissi legitime gerat: ne, si (quod absit) non verus pastor insurgeret, seu etiam remaneret, non levem jacturam sed fundamenti talis subversionem reciperet sancta catholica et universalis ecclesia, ecclesiasticis sacramentis indigne (proh dolor!) prophanatis, dum per eum indigne, indebite, et illegitime ministrarentur, qui potestatem et auctoritatem ministrandi legitimam non habere: non enim sacramenta dare possunt, qui ea dandi potestatem non habent; nec ministros creare, qui non sunt. Frequenter namque audivimus a plurimis non levis auctoritatis viris ecclesiastici et saecularis status, et dignitatis dubitari verosimiliter, an renunciatio facta per sanctae memoriae dominum Coelestinum Papam V. tenuerit et legitime et canonice facta fuerit: cum verosimiliter contrarium videtur ex eo, quod Papatus a solo Deo est: et quae a Deo vel ab alio superiori committuntur, a nullo possunt inferiori removeri.

Et sic papalis potestas, quae a solo Deo committitur, a nullo inferiori removeri posse videtur.

Item ex eo, quia nullus potest auctoritatem et potestatem aliquam spiritualem auferre, quam conferre non potest. Sed auctoritatem papalem nullus conferre potest nisi Deus: ergo neque eam auferre. Sed si teneret renunciatio, auferretur papalis potestas. Ergo renunciatio non videtur fieri posse.

Item etiam decretalis. *Inter corporalia*, expresse innuit, quod depositio Episcoporum, translatio eorum, et absolutio per cessionem soli Papae est reservata, nec etiam ipsi conceditur, nisi in quantum Papa quodammodo Deus est, id est Dei vicarius, ut patet ex textu. Ergo remotio Papae, quia Papatum omnes dignitates excellit, per superiorem Papa voluit ipse Deus tantummodo fieri, id est per semetipsum nulla enim ratio capit, quod Deus voluerit inferiores dignitates per ipsum Deum tantum aut per harum superiorem dignitatum tolli posse, nec per ipsum superiorem nisi in quantum ipse superior, scilicet Papa est Dei Vicarius; et tamen voluerit ipsum Papatum, quae est summa dignitas, proprie Christi est, nedum per inferiorem Deo, sed etiam per inferiorem seipsa dignitate tolli posse: et sic solus Deus videtur tollere posse Papatum, et nullus alter, sicut multipliciter videtur colligi ex textu praedictae decretalis.

Item ex eo, quod summa virtus creata per nullam virtutem creatam videtur posse tolli. Sed Papatum est summa potestas in creatura. Ergo per nullam virtutem creatam tolli posse videtur.

Iterum ex eo, quod nec Papa, nec tota creaturarum universitas potest facere, quod aliquis Pontifex non sit Pontifex. Ergo multo magis non videtur posse facere, quod summus Pontifex non sit summus Pontifex. Nam minus est tollere simpliciter Pontificem, quam summum Pontificem. Ergo cum simpliciter Pontificem nullus possit tollere nisi Deus, nec summum Pontifi-

cem videtur aliquis posse tollere nisi Deus: quod fieret, si renuntiare posset ita, quod valeret.

Item ex eo, quod Papa non est Papa nisi per legem divinam, et non per legem alicujus creaturae, nec omnium creaturarum simul. Ergo nullo modo videtur, quod Papa possit eximi, quin sit Papa: nec enim ex quo consensit et subiecit se legi sponsae potest esse non Papa per aliquam creaturam neque per omnes simul, ut videtur.

Item ex eo, quod nullus potest tollere votum alicujus seu ab ipso absolvere nisi ille, qui est supra votum. Sed papatum est quoddam votum maximum super omnia vota: nam vovet Papa de facto ipsi Deo, quod curam habeat universaliter gregis sui totius, scilicet universalis ecclesiae; et quod de ipsis reddet rationem. Ergo ab isto voto solus eum Deus absolvere posse videtur. Ergo de Papa nullus videtur posse fieri non Papa, nisi omnino a solo Deo aliqua ratione: nullus enim alicui obligatus potest ab obligatione seipsum absolvere, qua tenetur obnoxius, maxime superiore obligatus. Sed Papa nullum habet superiorem nisi Deum, et per Papatum se Deo obligavit. Ergo a nullo posse videtur absolvi nisi a Deo.

Item ex eo, quod nullus videtur se ipsum absolvere posse. Sed si valeret renunciatio, videtur quod seipsum posset absolvere.

Item ex eo, quod papalis obligatio non videtur posse tolli nisi per majorem potestatem, quam papalis sit. Sed nulla potentia creata est major quam papalis. Ergo fieri non potest per Papam nec per aliquid aliud nisi per Deum ut qui semel est Papa, non sit semper Papa, dum vivit, ut videtur. Item ex eo quod nulla dignitas ecclesiastica post legitimam confirmationem potest tolli nisi per ejus superiorem. Sed Papa solus Deus est major. Ergo a solo Deo tolli posse videtur.

Item ex eo, quod Apostolus vult et probat sacerdotium Christi esse aeternum: et ad vivere in aeternum in sacerdotio, sequitur

ipsum esse sacerdotem in aeternum. Ergo nullo modo potest esse vita summi Pontificis et summi sacerdotis sine summo sacerdotio. Ergo renuntiare non potest, ut videtur. Et nimis extraneum et a ratione remotum apparet, quod summus Pontifex, qui est verus successor et vicarius Jesu Christi, qui est sacerdos in aeternum possit absolvi ab alio quam ab ipso Deo: et quod quandiu vixerit non maneat summus Pontifex: et quod aliquo modo possit esse vita summi sacerdotis sine summo sacerdotio, ut videtur.

Item ex eo, quod si diceretur, quod vita summi sacerdotis esset sine summo sacerdotio, argumentum Apostoli, ubi dicit; Secundum legem Mosaicam plures facti sunt sacerdotes; penitus nullum videretur esse, sed falsitatem contineret: nam posset argui contra ipsum, quia Christus sempiternum habet sacerdotium. Respondet Apostolus: Eo quod manet in aeternum; dico tibi, beate Apostole, non est verum, quia potest in vita sua renuntiare, et non erit sacerdos amplius. Ex hac positione quod Papa renuntiare posset totius Scripturae sacrae et verbi Apostoli falsitas sequi videretur: et ex multis aliis rationabilibus et evidentibus causis hoc ipsum videtur verisimile et iustissime in dubitationem deduci.

Item ex eo, quod in renuntiatione ipsius multae fraudes et doli, conditiones et intendimenta et machinamenta, et tales et talia intervenisse multipliciter offerentur, quod esto, quod posset fieri renuntiatio, de quo merito dubitatur, ipsam vitarent et redderent illegitimam, inefficacem, et nullam.

Item ex eo, quod esto quod renunciatio tenuisset (quod nullo modo asseritur, neque creditur) plura postea intervenerunt quae electionem postmodum subsecutam nullam et inefficacem reddiderunt omnino: ex quo vos, qui principaliter tangimini, merito dubitatis, et in quaestionem deducitis dicendo, vos velle scire, utrum sitis Papa, prout in mandato per vos facto, si mandatum dici debet, per magistrum Joannem de Penestre cle-

ricum camerae continebatur expresse, demodo nos, qui ex vera fide asserimus et illuminata conscientia firmiter credimus, vos non Papam, tuta conscientia silere non possumus, quin in tanto negotio, quod sic universalem medullitus tangit ecclesiam, veritas declaretur. Propter quod petimus instanter et humiliter generale Concilium congregari, ut in eodem de his omnibus veritas declaretur, omnisque error abscedat. Et si quidem universale Concilium, auditis et pensatis supradictis et aliis negotium contingentibus, declaraverit renuntiationem legitime et canonice processisse, et electionem legitime et canonice postea subsecutam; eidem declarationi, cui stare et parere nos offerimus, a nobis et ab aliis humiliter deferatur et pareatur omnino. Si vero vel renuntiationem non legitime nec canonice processisse, vel electionem minus legitime et canonice subsecutam, dicti concilii declaratione aut deliberatione claruerit, cedat error, et de vero sponso provideatur legitime et canonice universali ecclesiae sponsae Christi, etc. Sub anno Domini MCCXCVII indictione X. die veneris, X. mensis maji.

DOCUMENT (Q).

SENTENCE DE BONIFACE CONTRE LES COLONNE.

Bonifacius, etc. ad perpetuam rei memoriam.

Lapis abscissus de monte sine manibus, ab aedificantibus reprobatum, et factus in caput anguli, duos et diversos parietes copulans, pastores a Judaea, et magos ab oriente producens, in se reconcilians ima summis, et ordinans in sancta Romana apostolica et catholica ecclesia charitatem, ipsam sponsam suam statuit esse unam, sicut scriptum est: Una est columba mea, electa mea, perfecta mea: una est matris suae, electa genitricis suae; per inconsutilem tunicam Domini designatam, de-